

Curious

(8 Jewish Medical Student

Early work on Gangrene

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

GANGRAENA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

GANGRAENA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DOUGLASIUS COHEN,

CAMBRO-BRITANNUS;

COLL. REG. CHIRURG. EDINENS. PERMISSUS,

NECNON

REG. PHYSIC. SOCIET. EDIN. SOC. EXTRAORD.

ATQUE PRAESES ANNUUS.

אדם לעמל יולד ובני רשף יגביהו עוף

JOB, Chap. V. v. 7.

" While wilful you, and fatally secure,
Expect to-morrow's more auspicious sun,
The growing pest, whose infancy was weak
And easy vanquished, with triumphant sway
O'erpow'rs the life. For want of timely aid
Millions have died of medicable wounds."—*Armstrong.*

IV. Id. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR,

MDCCCXXVIII.

VIRO SPECTATISSIMO

GULIELMO EDWARDS, M. D.

COL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

MEDICO NOSOCOMII SWANSEAENSIS PRIMARIO,

&c. *&c.* *&c.*

Cui, prae te, Praeceptor amicissime, sequentes paginas inscribam. Tuis enim sub auspiciis artis Apollinaris studio primum incubui, et lumine, quod ex tuo ingenio jam tum disciplinis medicis affulsit, studia mea hactenus diriguntur. Sine igitur, oro, me primitias illorum conaminum, omne quod potui, tibi offerre, Diu vivas et valeas, miseriisque mortalium, ope illa, qua insigniter polles, levamen feras, et

"Corpore ab aegroto properantia fata repellas,"

Deus optimus maximus concedat,—Vale.

FRATRI SUO CARISSIMO,

ESDAILE P. COHEN,

HANCCE DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

AMORIS ET AMICITIAE PEREXILE QUIDEM,

SED

SINCERUM PIGNUS,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

GANGRAENA.

AUCTORE DOUGLASIO COHEN.

Nil nisi lex hujus Academiae diu constituta me coëgit, ut opiniones meas in medium proferam, quum temporis tantillum adhuc in artem Apollinarem discendo consumpserim. Gangraena igitur, pro hujus opusculi argumento mihi ipse proposui utpote ex morbosis corporis humani conditionibus ea mihi frequentissime conspicienda occurrerit.

Vocabulo Gangraena * intelligitur plerumque partium corporis humani mollium, mortificatio, in quibus ideo actio cuncta organica in-

* *γασγραινα α γράω* devoro, vel a *γαινω* vescor.

teriit. De accuratis autem nominis hujus terminis non inter auctores constat. Quidam enim morti partis, incipienti, superstite adhuc quodammodo vitae principio, nomen Gangraenae, fabricaeque ejusdem organicae penitus delitae, nomen *sphaceli*, imponunt.* Alii, praesertim apud GALLOS chirurgi partis summae mortem *Gangraenam*, totius, *sphacelum* appellant.†

Quanquam saepissimè Gangraena sphacelum antecedit,‡ hoc minimum semper se ita habet, *moxa* enim adhibita *ferrumve candens* mortificationem statim facessit.

Ex consulto nihil discriminis inter Gangraenam *humidam et siccam* profero, cui tantum tribuerunt aliqui, quoniam mihi nihil aliud diversitatis, nisi numerus vasorum, quae partes adeunt, intercedere videtur. Ita duorum hominum ejus, qui lenta valetudine con-

---

* Prof. THOMSON Lectures on Inflammation.

† FABRICIUS HILDANUS de Gang. et Sphacelo, cap. 2.

‡ RICHTER anfangsgr. der Wundarzn. B. I. Kap. 3.

fectus fuit, corpus, quam alterius, quem robusta valetudine fruentem mors derepente occupavit, diutius putredini accessurae integrum repugnabit.*

Gangraenam praenunciant quam proximè imminentem nescio quae aegri vultus mutatio insignis, stagnantesque humores affectae partis, quae mollis est, parum sensibilis et flaccet, et digiti prementis vestigia, haud secus ac in anasarca, accipit. Calor haud parum imminuitur, aspectumque purpureum et liventem ad nigrum etiam colorem vergentem induit. Epidermis in vesiculas humore rubro vel subflavo repletas, eminet. Pulsus celeres sunt, debiles, et vibrant. Vultus insigni modo a solito habitu alienatur et spatium earum, quae proxime in eandem conditionem decursae sunt, partium, oedemate et sensu tanquam

---

* Sometimes the skin of a mortified part becomes hard, dry, and black. This generally marks that the mortification is superficial; for when it extends deep, the quantity of fluid contained in it will keep it flaccid and moist.—Wilson's *Lectures on the Vascular System.*

tela cellulosa, quae cuti subjacet, aëre referta sit, insignitur. His indiciis subjicere licet etiam odorem foetidum et pestilentem emissum, quem Professor RICHERAND hujus signum proprium ducit, nam exclamat, "Quel "chirurgien n'est souvent frappé en entrant "le matin de l'odeur d'une seule gangrene "elle indique la pourriture dejà avancée dans "l'organe privé de la vie."*

Mortificatio, ultimus videlicet Gangraenae gradus, calore, humiditate, mollique partium conditione festinatur: latius serpit, viam sibi in telam cellulosam legit, organa vicina corripit, et deincips putredine corrumpit. Humores ita vitiati putredine sua partes, quotquot permeant, vel tangunt, inficiunt, unde morbi ex contagio, et miasmatis putridis absorptis orti maturescunt et evolvuntur.

Vultus aegri efferatus et solicitus, sputaque ex materie molli et nigra constantia et spiritus foetidissimus pulmonis gangraenam insigni-

---

* Nosographie Chirurgicale.

unt. Cutis hoc vitio corrupta colorem vulgo prae se fert nigrum vel purpureum. Tela cellulosa ita affecta, antequam aër accesserit, albida est, sed huic objecta in fusco-nigrum mutatur. Musculi Gangraenosi nigricant, intestina pari modo morbida, ad cinereum potius spectant. Nec desunt cerebri,* cordis et † hepatis ‡ Gangraenae exempla. Difficile est admodum aliquando, num adsit Gangraena, ex colore intestini solo, judicium ferre. In hernia enim, ob sanguinem tunicas inter singulas congestum et confertum, nigrum prorsus esse queat. Sin revera Gangraena occupaverit, peritonaeum semper separatum et molle est, nec distentum resilit.

---

* Mem. De l'Acad. de Chirgurgie,—Baillie Morbid Anatomy, 452.

† Corvisart, Traité des Malad. de Cœur.

‡ Lieutaud. Anat. Med. p. 140. Morgagni de Sed. et Caus. Morb. Epist. xxxv. Art. 15.

MORBI CAUSAE.

Partis alicujus inflammatio vehemens, creberrima Gangraenae causa existit. Quinetiam ab actionis defectu oriri potest, necnon ab affectibus propriis causarum quarundam nocentium, cujusmodi recensentur, ambustiones, algor praegravis, causticorum usus; sanies, stercus, et urina* in telam cellulosam fusa;

* Exemplum infra positum, utpote notatu dignum, gangraenae ex urina extravasata ortae. Quidam in Nosocomium "*La Charité.*" Hydrocele pergrandi, scrotoque mirum in modum distento, laborans acceptus est. De eo consultum est, num fas esset curationem perfectam injiciendo moliri. M. Le Baron Boyer, duas aperturas, unam nempe mane, alteram vespere, quò tunica vaginalis sese in se contrahere sineretur facere, et, aperturâ secundâ factâ, simul injicere suasit. Uti suasit, factum; et æger quam felicissime convaliturus videbatur. At, urinâ tunicam vaginalem inter et telam cellulosam circumjacentem effusâ, mortificatio spatiosa supervenit, quâ testis nudati fuerunt. Omnia tamen demum in bonum cesserunt; testesque in inguine altos fere e conspectu reconditos cicatrix arcta complexa est. *Manuscript Notes of Professor Marjolin's Lectures.*

ictus vel morsus venenatus, aut toxicum sumptum.* Contusiones violentae velut in vulneribus ab instrumentis belli explosis ; fracturae complicatae ; partes molliores ut in hernia, polypisque ligatis, &c. incarceratae ; arteriarum venarumque tunicae solito crassiores factae, vel in os conversae ; vas amplum ligaturâ coarctatum, vel tumoribus vicinis ita compressum,† ut cursus sanguinis vel actio nervorum, ab aliquâ corporis parte abrumpatur.

DIAGNOSIS.

De Gangraenae *Diagnosi* supervacanei mihi foret operis aliquid proferre, quoniam, notis ejus propriis rite spectatis, non fieri potest, ut pro alio quovis malo per errorem habeatur.

---

* Ambrose Paré. Lib. 21. c. 22. Galen. de Loc. Affect. Lib. 5 cap. 5. Paul Æignet. Lib. 5. c. 15.

† Vide Act. Erud. Lipsiæ. a. 1693. Fabricius Hildanus. De Gangr., &c. Cap. iv. V. Swieten Comment. in Boer. Aph. 422. ad B.—Le Dran. &c.

PROGNOSIS.

Prognosis de Gangraena edenda, pro ejus causa, aegri aetate, viribus et temperamento, prout ad vitam partis sanitate magis minusve opus est, denique pro celeriore vel segniore morbi ipsius decursu, variabit. Est infausta tamen saepissime, eo magis profecto, quo debiliores sunt, et quanto difficilius arteriae parti Gangraena corruptae subjacentes salire sentiuntur.

Jam de Gangraena acturus sum prout a variis causis pendeat, et quaedam de ratione medendi cuique varietati accommodata proponam.

Quando partes aliquae ad actionem vires suas longe exsuperantem diu sustinendam incitantur, impeditis sanguinis venarum lymphaeque reditu, et vis nervosae aditu, strangulantur, et mortificatio supervenire solet. Jam sanguinem detrahere, purgantia porrigere, et quicquid inflammationem temperare valeat, adhibere oportet. Haec actio summopere metu-

enda est, quamdiu causa immota instat. Haec quibusdem in exemplis, nimis arcta fascia est, vel apertura nimis angusta, per incisionem, liberandâ vel vomitorium ad acria putrida et venenata e primis viis expurganda exhibere decet.

Inflammatio vel potius irritatio nimia saepe in oedemate tumefactis, seroque in telam cellulosam effuso vexatis exoritur, partesque ut subleventur, incisae vulgo in Gangraenam abeunt. Ita in anasarca crurum femorumque, incisiones in longitudinem pollicum duorum vel trium patentes commendatae fuerunt. Semihora post illas factas magnum percipitur levamen, sed partes ad colorem albido cinereum vergentes cito in gangraenam ruunt. Si contra, vice magnarum, exiguae incisiones, vel potius puncturae simplices fiant, levamen etsi serius accesserit, diutius permanebit, et eventum omnimodo felicem plerumque affert.

Evitandae sunt semper incisiones spatiosae.—Pott eas quidem commendabat, sed lethales vulgo evadebant. Marjolin in praelectionibus suis historiam cujusdam narrat, qui oeda-

mate spatioso dorsi et lumborum conflictabatur de quo consilium a professore petitum est. Sed opinione ejus auctoritate aliorum, qui simul aderant, medicorum evictâ, duae incisiones magnae in lumbis factae sunt, quae post diem tertium Gangraena correptae fuerunt, quae per totum corporis truncum serpsit, aegerque eorum imperitiae et pertinaciae succumbens periit. In pungendo tamen *caveatur,* ut satis magno intervallo puncturae inter se distent, ne areolae inflammatae a singulis suscitatae confluant.

Calor omnibus, quibuscunque admovetur partibus stimulo est. Lenis valetudine robusta fruentibus potius prodest quam nocet ; sed in modum ingentem auctus inflammationem dolentissimam ciet, atque apud summam partis cui nihil interposito appositus est, texturarum fabricam organicam destruit, dum quae subjacent partes, mobiles sunt admodum, et ad inflammationem suscipiendam aptae. Ubi laesiones parum illatum fuit, partes affectas refrigerantibus sedulo fovere, et ipsis glaciem appositam tenere sufficiet. Quando vero cutis pars spatiosa fuit deleta, vice refrigerantium, cale-

fantia et stimulantia usurpanda sunt, et cataplasmata emollientia plagis pus secernentibus apponenda. Curam simul maximam adhibere oportet, ne, neglecta munditie, partes, vicinae inter se adhaerescant. Hujusmodi negligentiae exempla nimis crebra conspiciuntur, unum ipse vidi. Juvenis, exploso gase hydrogenio carburetto, quod infelici forte adeo saepe in nostris fodinis carbonariis accidit, horrificè ambustus erat in superiori lateris sinistri parte plaga spatiosa pus secernebat. Haec, ob parum idoneam in lecto posituram et epithemata incuriose imposita, adeo arcte cum brachio ejusdem lateris concreverat, ut non nisi sectionibus liberis, sejungi possent.

Caloricum Abstractum, quam idem accumulatum, corporis organis neutiquam minus nocet. Calore enim multo citius detracto, quam per vasa quae humorem vitalem circumvehunt, reparari possit, mortificatio insequitur. Aliquis, postquam aliquamdiu algoris effectibus repugnavit, tandem illecebris somni exitialibus, illectus, se sopori prorsus tradit. Tunc corpus torpescit, et, functionibus instrumentorum calorem animalem

gignendi sistentibus, illud inter et circumjacentia temperiei aequilibrium instituitur, humoresque congelantur. Quamdiu vero aliquid vitae superstes moratur, quominus itâ conglacientur, obstat.

Partes a centro humorum circuitus maximé longinquae primo afficiuntur. Ita viatoris imperiti sub coelo frigido, necdum conscii, donec incolae nivem ad remedium apponendam suadent, nasus et aures penitus frigore adurantur.

Actio temperiei aëris valde imminutae in expeditione a Captain Parry inita, similes effectus ac valde adauctae praestare comperta fuit; nec aliquid mihi melius faciendum videtur quam verba ipsius citare. "It now became rather a painful experiment to touch any metallic substance in the open air with the naked hand: the feeling produced by it exactly resembling that occasioned by the opposite extreme of intense heat, and taking off the skin from the part it affected. "We found it therefore necessary to use

" great caution in handling our sextants and
" other instruments, particularly the eye-pieces
" of telescopes, which, if suffered to touch the
" face, occasioned an intense burning pain.*

Partes algore adustae, per nivem affrictam pannosve linteos ex aqua nivali, vel saltem frigida admotos, optime tractantur. Si enim calor nimis subito admovetur, illae tantum, quae sentiunt adhuc, partes ad actionem suscitantur, dum rubor supra partem mortuam indicium est solummodo nocivorum ejus effectuum, ipsumque membrum velociter in putredinem ruit.

Contusio etiam gangraenam arcessere valet. Quum igitur aliquod missile grande vi impulsum artum oblique ferit, partes molles impetu ejus ab uno latere victae, ab altero osse sustentatae ad massam fabricâ organicâ deleta mollem redigitur. Stupor gravis comitatur, aegrique, tanquam atrocitèr vulnerati, haud immani dolore plecti videntur. Vultus palli-

* Voyage for the Discovery of a North-West Passage.

da ad livorem vergit. Labra subcaeruleo sunt colore tincta, et cutis sudoribus gelidis profluentibus madet. Pulsus molles sunt et compressu faciles, et cogitationes adeo inter se turbantur, ut suscitati ex stupore voces monosyllabas tantummodo reddant, et statim in pristinum veternum relabantur. Hinc laesionem generis nervosi subesse patet, quae nisi brevi debelletur, cito lethalis evadit. Sanguinis etiam circuitus mirum in modum deficit; et si jam pars ferro amputanti reciditur, nihil effluit sanguinis, vel, si guttae pauculae elabentur, humor effusus, non coit, membrumque mutilum in gangraenam abit. Primum ergo consilium esse debet stuporem tollere; neque hoc per sanguinis detractionem tentandum est, quippe quae procul dubio vires exiguas aegri hactenus superstites penitus effunderet. At per stimulantia et aromatica suscitandus est aeger, et odores aromaticos et ammoniam inhalare debet. Per pannos ex liquoribus meracis succidos dorsum et membra fricanda sunt, et purgantia leniora exhibenda.

"Et quae non prosunt singula, multa juvant."

Si morbus in bonum exitum cedit, aegrotus sentiendi facultates paulatim recipit, ac colorem vultus decentem recuperat. Labra iterum florescunt; sudores minus copiosi et calidi fiunt, arteriaeque plenius et validius micant.

GANGRAENA SENILIS.—Morbus est ab infirmitate pendens, et digitos pedum ipsosque pedes senum occupat. Insigniter, quamvis haud ita semper, aret. Viri prae foeminis aggressionibus hujus mali magis patent, adeo quidem ut, POTT auctore, ex affectis quaeque vigesima tantum femina sit. Attamen in Gallia, si MARJOLIN ulla fides est, uterque sexus pariter fere obnoxius est. Ditiores plerumque, qui diaetâ plenâ et opiparâ victitant quam pauperiores, quique sibi et suis quotidiano labore quotidianum victum parant, potius occupat. Gangraena hinc orta a JEANROY, nomine " Gangrenè des gens riches,"* accuratè depingitur, et pedes cruraque saepissime invadere perhibetur. Contra hanc,

* Vide Memoires de la Societé de Medecine.

tanquam remedia, regimini antiscorbutico obtemperare, victu modico uti, et demum russticari jussit. Saepe a cordis valvulis, arteriarumve majorum tunicis in os conversis, quo minus sanguis ea transmittatur exoritur. Hoc autem POTT plane negat; rem vero se ita aliquando habere exemplum infra propositum, cujus ipse testis eram, satis edocebit. Homo aetat. circiter 50, sutor in Hotel-Dieu Lutetiae Parisiorum, mense Februario anni 1827 acceptus est, mortificatione membri inferioris sinistri conflictans. Phalanges ultimae jam deciderant, ossaque tarsalia prorsus erant disjuncta. Calcis murias in solutione partibus admotus fuit, viresque opio et ammonia sustentae. Vitium celeriter grassari pergebat, donec pars dimidia tibiae et fibulae omnino esset nudata; jam aegri vires paulatim deficere coeperunt, et postera hebdomeda mors finem miseriis et aerumnis imposuit.

"Omnibus una suis certa medela malis."

Cadavere inspecto, inventa sunt vasorum artûs sinistri lumen haud parum materia ossea copiosè demissa imminutum, et arteria iliaca externa et praecipua artus dextri, cujus nullum fuerat vulnus, arteriae penitus, imperviae,

dum humorum cursus per ramulos arteriarum glutaealium ischiaticarum, &c. inter se per anastomosin junctos pergebat.

Hanc Gangraenae varietatem interdum diu sensus quasi frigoris, et torpor sine dolore antecedunt; dum alii angoribus saevissimis noctu maxime cruciantur. Macula exigua nigra vel purpurea primo ad apicem vel a latere unius digitorum pedis se prodit. Cuticula, qua primum haec conspicitur, decidit, et, quae subjacet, cutis colorem profunde rubrum repraesentat. Haec citò ab uno ad alterum digitum serpens, brevi ad crus pertinet, artisque Appollinaris auxilium latura cunctis conatibus deludit. Pott cinchonam aegrotantis miserias accumulare expertus, opium exhibere statuit. Granum unum tertia vel quarta quaque hora nunquam tribus vel quatuor pauciora intra horas viginti quatuor dare solebat. Summum porro beneficium ex immersione membri in lacte tepido, utpote quod dolorem optimè sublevaret, provenire reperit.

Partium nigricantiam et mortuarum scarifi-

cationes, vel ut remedia apponantur, vel ut partes, quae subjacent, sanae ad inflammationem et suppurationem suscitentur, laudatae sunt, et revera saepè adhibentur. HUNTER autem ab iis multum aversabatur. Ex quorundam auctoritate pes et talus, cataplasmatis, mollibus, laevibus, et antisepticis involvi debent. Nihilominus Sir ASTLEY COOPER, ea quae ex vino rubro vel faecibus cerevisiae veteris et farina avenacea conflantur, caeteris longè anteponit. Summa beneficia ex parvis et repetitis saepe sanguinis missionibus Le Baron DUPUYTREN* provenire vidit. In Gangraena pedum eorumque digitorum senili, ASTLEY COOPER amputationes, sive fuerint granulationes laudabiles necne, vetat; et, si amputetur membrum, partem reliquam mortificatam fore, aegrumque moriturum esse affirmat.

Quorundam vasa inertia sunt et humores adeo mutati, ut contusio vel levissima gangraenam adducat. Haec in coxis, sacro, partibusque iis quae musculosae carnis tegumento tenui tantum gaudent, apparet, nam pressura partium

* Dictionaire des Sciences Medicales.—Art. Gangrene.

in lecto, vel ad lasanum diuturna ad ossa subjacentia denudanda sufficit.

Varietas Gangrenae est adhuc alia, qua et homines et pecora plectuntur ubi pane ex polline tritici nigri et mucidi facto vel secali cornuto vescuntur; et quod insigne est, tam in pecorum quam in hominum artubus inferioribus incipit.

Pars gangraenâ prorsus corrupta, omni cum reliquo corpore commercio et nexu abrupto, nil aliud est, nisi corpus alienum quod tolli prodest, atque, ut caeterae partes se bene habeant tolli opus est. Haecce separatio absorbentibus perficitur. Ut primum vitium progredi desinit, circulum inflammatorium, ulceratione partes vivas inter et mortuas intercedente, efficit. Huic naturae operi emollientia partibus, quae inflammatae vehementer dolent, et leniter stimulantia et antiseptica iis, quae parum sentiant, admovendo ars opitulatur. Quum fungis pullulant, et sanie macerantur, et gangraena progredi pergit per causin potentialem compescenda est, quae crustam adustam efficiunt, morbumque ad con-

ditionem vulneris simplicis, cum partis jacturâ, redigit.

Membrum sphacelo mortuum, quam primum

"Ense recidendum est ne pars sincera trahatur."

Atque ut aeger foetore intolerabili, liberetur. Regula generalis membrum quam longissime a corporis trunco, abscindere jubet; quoniam et plures, et illi citiùs sanitatem post sublata crura et antibrachia, quam femora et brachia, recipiunt. Qui tamen huic legi nimis obedienter obtemperârunt, crus amputaverunt et, paucis post diebus, morbus per abscessus recrudescens in genu et femore, aegrotum e medio, hominumque coetu sustulit.

Nomen *Gangraenae Nosocomialis* vitio impositum est, quod effluviis putridis nosocomiorum, carcerum, naviumque frequentium exoritur. Vera contagio est quae usu linteorum vestimentorum vel lini ipsius, quae aliquamdiu aëri putridis miasmatibus inquinato objecta jacuere, evulgatur. Cutis, guttur,

pulmones, intestina istiusmodi effluviorum impetu affecta morbos Gangraenosos, aliquando epidemicos instituunt. Haec putredo, quae celerrime grassatur eo celerius revera coeli tempestate frigida et humida, et in iis qui a natura habitu corporis debili sunt praediti, sese in partibus singulis per maculas leucophoeas sive cinereas prodit. Hae postea nigrescunt, vis vitae minuitur ulcusque indies in amplitudinem majorem patens valde graveolentem foetorem emittit.

Huic malo munditiem quam maximam, aëre subinde renovato, et per vapores acidorum nitrici et muriatici ad ulcus Gangraenosam dirigendos purgato opponeret decet et oportet. Lotiones ex cinchonae decocto et linimenta camphorata etiam summopere prosunt. Robur aegri vino sustinendum. In Gangraena ubi vires multum collabuntur, cinchona magnam praestat utilitatem. Vim vitae alit, antiseptica est et suppurationem laudibiliorem reddit. Per parvas pulveris portiones saepe repetitas, cum vini pauxillo, quò ventriculus eò melius ferre

queat, exhibetur. Inter initia modice usurpanda est, et in ea tantum copia quae habitum corporis universum potius roboret, quam pro tempore solummodo excitationem efficiat. Qui *Cerevisiae Forti* et *Zypho* assueverunt, inde, saepe majora quam vino assumpto beneficia percipient.

Non possum hanc dissertationem ad finem perducere quin simul gratias Professoribus Facultatis Medicinae ob plurimam nunquam nimis aestimandum, scientiam quam ex eorum praelectionibus hausi, maximas agam. Vos viri illustrissimi diu valeatis et felicitate summa fruamini, vestra Academia in saecula floreat, et aestimationem famamque sibi vestris ingeniis cultissimis collatam conservet, ab imo corde precor.

FINIS.

